

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3791

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : bref/mandement

Authenticité : non suspect

Datation : 1275, 19 juillet

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

À la plainte de Renaud dit Corsdomme contre le chapitre de Bayeux sur la dîme du moulin du blé que Gilbert dit Corbel avait vendu au chapitre, Philippe [III], roi de France, ordonne au bailli de Caen d'enquêter sur les droits sur ladite dîme.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 852, p. 199-200.

Texte établi d'après a

Ph., Dei gratia, Francorum rex, ballivo Cadomi, salutem. Cum proponeret coram nobis Reginaldus dictus Corsdomme contra decanum et capitulum Baiocense, quod Gillebertus dictus Corbel eisdem vendiderat unum modium bladi pro quadam pecunie quantitate, percipiendum annuatim in granchia de Croileto, ac peteret idem K., qui erat (ut dicebat) de genere venditoris predicti, modium bladi predictum habere per bursam, ex parte dictorum decani et capituli fuit propositum ex adverso, quod cum dictus Gillebertus in quadam decima, quam tenebat in feodum, et que reponebatur in granchia supradicta, dictum modium bladi perciperet, quod ab ipso emerant tanquam decimam, cum consensu episcopi Baiocensis et parochialis presbiteri, infra cuius parrochie fines dicta decima consistebat, prefatus Reginaldus super petitione sua, cum in tali casu retractus per bursam locum non haberet, non erat aliquatenus audiendus, presertim cum inclite recordationis precarissimus dominus et genitor noster Ludovicus, Francorum rex, ecclesiis concessisset quod a laicalibus personis, percipientibus decimas in terra et in feodis suis de ipso medietate vel immediate moventibus, quas ecclesie perciperent, si eas laici non haberent, quocumque justo et licito modo possent acquirere ac im perpetuum retinere, absque reclamatione et oppositione sui vel successorum suorum, et sic a se abdicasset omnem cognitionem et justitiam decimatarum taliter venditarum ; verum cum prefatus Reginaldus negaverit quod prefatus Gillebertus dictum modium bladi percipiebat in decima, seu in blado quod esset ut decima redditum vel solutum, sed pocius in terris suis et illorum a quibus causam habebat excreverat, et de quo decima soluta fuerat, prout idem Reginaldus dicebat ; mandamus tibi quatinus diligenter inquiras et scias super hoc veritatem, et si tibi constare poterit quod prefatus Gillebertus dictum modium bladi, ut dictum est, venditum percipiebat in decima, ulterius de causa hujusmodi te nullatenus intromittas ; immo dictus Reginaldus ad forum poterit ecclesiasticum recurrere, si sua crediderit interesse ; alioquin secundum usum et consuetudines patrie facias

partibus justicie complementum. Actum Parisius die veneris ante festum Beate Marie Magdalene, anno Domini M^o CC^o septuagesimo quinto. Redde litteras.